

*Q. B. V.*

ADAMI  
POENITENTIAM,

DISSERTATIONE POSTERIORI

P. P.

D. JO. FRID. MAYER, S. THEOL.

PROFESS. ORD.

&

M. JO. CHRIST. BOCK, Grimmensis,  
WITTEBERGÆ,

d. XIIX. Jan. A. MDCCLXXXVI.



Recusa Anno 1710.

*B. Wimmer*

#. ~~1710~~. 72

II. diss. A  
, 17<sup>b</sup>

1710. A. 74 (17<sup>b</sup>)

Q. N. 3.

ADAMI.

POENITENTIAM

DISSERTATIONE POSTERIORI

P. P.

D. JO. FRID. MAYER, S. THEOL.

PROFESS. ORD.

&

M. JO. CHRIST. BOCK, GYMNASII

WITTEBERGAE.

MDCCXXXVI.



VERLAG VON WITTEBERG

Recht. Joh. 1710.

(o)

---

# JESU FORTUNANTE !

## CAP. III.

I. Fides salutaris pœnitentiæ pars. II. Fides Adami salvifica colligitur  $\alpha$ ) ex Prot-Evangelio. III.  $\beta$ ) ex impositione nominis Evæ. IV.  $\gamma$ ) ex Evæ confessione Gen. IV. 1. ubi sententia summorum Virorum DD. Calovii & Sebaſt. Schmidii defenditur. V.  $\delta$ ) ex Sacrificiis Caini & Abelis. VI.  $\epsilon$ ) ex Salute Adami æterna. VII. Rabbinorum de fide Adami sententia refertur.

**P**œnitentiæ Salutaris partem alteram fidem esse supra diximus. *Nomine fidei autem* ( ceu accurate loquitur Venerandus noster in Christo Pater Magnif. Dn. D. *Quenstedt* in incomparabili Systematis Theologici Opere P. III. Cap. 9. de Pœnitentia p. 183. ) *intelligimus hic non tam ἐπίγνωσιν seu cognitionem in mente, per quam res divinas novimus, nec συγκατάθεσιν seu assensum, quo Deo ejusque verbo credimus, sed πρόσδεγμα sive fiducialem apprehensionem, qua Christi passionem & mortem, adeoque totum ejus cruentum meritum nobis applicamus & adpropriamus. Hac fide sola discriminatur pœnitentia vera & salutaris ab Ischario-tita & exitiali. Luctantur itaque cum larvis, quas sibi fingunt Pontificii, fidē, h. e. credendorū nudā & notitiā & assensum pœnitentiæ salutaris partē non esse adversus Lutheranos disputando: ea enim ratione fidem in pœnitentiæ negotio non considerant orthodoxi, & ultro largiuntur cum B. Lutbero in Lib. de Captivitate Babylonica, fidem sic spectatam (h. e. quatenus assentitur comminationibus legalibus) oportere contritionem præcedere, atq; principium & causam esse contritionis; sed de fide justificante, de fide promissionem, qua cor contritum erigitur, & Chri-*

DE POENITENTIA ADAMI.

sti meritum cum promissionibus de gratuita remissione peccatorum sibi in individuo adplicante nobis est quaestio : omnes ergo Pontificiorum in hac causa objectiones laborant ignoratione Elenchi. Fidem justificantem vero Pœnitentiæ Salutaris partem esse, prolixè & invictè probarunt, qui Art. XII. Aug. Confessionis ex nostris exposuerunt, & omnes Systematum orthodoxorum scriptores in Art. de pœnitentia, ubi & argumenta in contrarium Socinianorum, cum primis *Smalcii adversus Franzium* p. 523. & *Remonstrantium* solide discussa deprehendes. Videamus jam utrum & Adamo pœnitenti fides illa justificans tribuenda sit.

Non equidè inficiabor ambigere posse Lectorem, quod, cū Apostolus Ebr. XI, catalogū texeret sanctorum fide illustrium, ne verbulo quidem Adami fecerit mentionem, sed initium huic ab Abele dederit. Quæ res mirum in modum torisit Interpretes. *Guilielmus Estius* Doctor Pontificius & in Academia Duacena olim Professor Primarius ejusdemque Universitatis Cancellarius in Commentario ad Epistol. ad Ebr. Cap. XI. v. 4. f. m. 1035. factum id esse ait ob silentium Moïsis, quo reliqua post lapsum Adami facta prætermiserit : *Incipit Apostolus ab Abel, Adamo prætermisso, quod de eo, postquam peccavit, nihil eximium Moïses narret.* At illam non sufficere rationem exempla Jephthæ, Gideonis &c. v. 32. adducta probant, post quorum lapsum, Jephthæ impium votum Jud. XI, 30. Gideonis Idololatriam Jud. VIII, 24, nil eximii de ipsis narrat Spiritus S., illorum tamen hic expressit nomina. *Ludovicus Tena* Complutensis Academiæ primarius Theologus ad h. l. difficultate 3. p. 492. istam reddit rationem, quod ad obtinendum finem Apostoli, exhortari sc. per Exempla Sanctorum ad  
Im-

DE POENITENTIA ADAMI.

immotam fidem, magis conveniens videbatur initium  
facere ab Abele, qui virtutis causa mortem sustinuerat, ve-  
rumque Dei cultum obsignaverat sanguine, quam ab A-  
damo placidis defuncto fatis. Ita enim verba *Tena* ca-  
pi: *Discursus ergo Pauli hic est, ut bene Cbrysostronus notat:*  
*viderat Judæos a fide incepisse; tamen afflictionibus esse*  
*imbecilles, eosque fuerat consolatus ex memoria suorum &*  
*præteritorum operum, dicens: Remoramini pristinos dies &c.*  
*Deinde ex sacra scriptura, dicente: Justus ex fide vivit.*  
*Rursus ratione, declarando naturam fidei, quæ est substan-*  
*tia sperandarum rerum, modo vero consolatur a majoribus*  
*& antiquis Patribus, qui magna mala perpeffi sunt, & in-*  
*cipit a primo justo Abel, qui primus mortem sustinuit virtu-*  
*tis causa.* Quæ sententia, si a Papæa modo abeas hypo-  
thesi, inepta non est. Sed nec illa indigemus: cum 1)  
Apostolus in hoc capite XI. nunquam sibi expedien-  
dum sumserit, integrum omnibusque numeris absolutum  
credentium indicem referre, ita, ut qui in illo non com-  
pareat, de illo fides non debeat adfirmari; contrarium  
ipse testatur v. 32. *Et quid amplius dicam? destitueret nam-*  
*que me tempus commemorantem de Gedeone, Barako &c.*  
& quemadmodum Gedeonem Barako, Samonem Jephthæ  
Davidem Samueli præponendo (cum Barak ante Gedeo-  
nem, Jephtha ante Samsonem, Samuel ante Davidem fue-  
rit) nil quidquam obfuerit illorum ætati, ita neque ul-  
lius existimationi, quo de siluit. 2.) non plane eum neglexisse  
Adamum accurate ostendit Venerandus noster Præceptor  
Magnif. Dn. D. Sebastianus Schmidius, qui ad v. 4. Eb. XI.  
p. m. 1192. ita: *Adam non plane est prætermisus: sed o-*  
*mniū primus in versu præced. indicatus inter eos, qui fi-*  
*de intellexerunt coaptata esse secula ex nibilo.* Hoc nam-

DE POENITENTIA ADAMI.

que Adamus post lapsum non minus, quam nos fide intelligere necesse habuit. Agamus ergo fidei Adamiticæ causam, cui sequentibus adsumus argumentis. Primum desumatur ex Prot-Evangelii annunciatione Gen. III. 15, locum enim hanc promissionem Evangel. eã de redemptione Humani generis per Mesſiã præstanda continentẽ adversus omnes adversariorum depravationes vindicarunt Theologi nostri, nolo itaque post Homerum Hiada. Ponderet hic quispiam gratiam misero Adamo promittentem, offerentem, ad illam invitantem *ipsum fuisse Deum*, quem offenderat, cujus terrores minasque hucusque perceperat pariter atque senserat, & hæc Adami lapsi conditionibus committat, h. e. iras Dei oppido extimescentis, reconciliationem cum irato Numine anxie anhelantis, omneque felicitatis suæ argumentum in ea impetranda ponentis, & hanc svaviter oblatam gratiam fervida animi contentione fideque Adamum sibi adplicuisse, illa serexisse, neque de patrati facinoris remissione amplius dubitasse, nullus puto ambiget. Optime B. Lutherus in Genes. III, f.m. 79. Diesen ersten Trost und Ursprung aller Gnade und Barmherzigkeit / haben die Väter und ihre Nachkommen mit ganken Fleiß gelernet / denn sie haben gesehen / daß / so er ohn diese Verheißung wäre / würde sich zwar wol das Menschliche Geschlecht mehren / und zeugen wie andere Thier / wurde aber eine Mehrung und Geburt seyn zum Tode. Darumb wird alhie dieselbe Gabe / der Fruchtbarkeit und generatio / so der Natur von Gott gegeben ist / gemehret / ja geheiligt mit der Vertröstung / daß es eine solche generatio seyn sol / dadurch dem Sathan sein Kopff sol

sol zutreten werden/ daß nicht allein solche Tyrannen zerstöret und aufgehoben werden sol/ sondern sol auch diese Natur/ so umb der Sünde willen zum Tode verordnet war/ ewiges Leben überkommen. Deñ Moses handelt hie nichts mehr von der natürlichen Schlangen/ sondern redet vom Teuffel/ welches Haupt ist der Todt und die Sünde/ wie EHRJSEUS sagt Joh. 8. daß er sey ein Mörder und Vater der Lügen. Weil nun seine Gewalt zertreten/ das ist/ die Sünde und der Todt durch Christum aufgehoben ist/ was haben wir gewissers/ denn daß wir als die Kinder Gottes selig werden. Auf diese weise haben Adam und Eva diesen Text verstanden und haben sich selbst getröstet wieder die Sünde und Verzweiffelung/ mit der Hoffnung dieser Berknirschung/ so durch Christum geschehen sollte und in Hoffnung dieser Verheißung würden sie aufstehen zum ewigen Leben. Differendi hie se ampla offert copia de extraordinaria, ceu dicunt, gratia quam multis obtigisse, Abrahamo, Paulo aliisque Theologi docent nostri; sed verbis id alterius expediemus. Ita enim B. Meisner. Dec. II. disp. I. p. m. 23. *Hanc (extraordinariam gratiam) quod attinet, dicimus eam fieri per gratiam efficacem infallibiliter & semper: hac enim gratia hominem ita vocat, ut quasi necessaria voluntate & voluntaria necessitate convertatur. Exempla habemus in Abrahamo & Paulo, qui extraordinarie vocabantur ad fidem in Ecclesiam. Ubi queritur, an hac gratia talis fuerit, ut potuisset vel ab Abrahamo vel a Paulo rejici? & negative respondendum esse censent Theologi. Hec igitur gratia extraordinaria, si conferatur cū ordinaria, potest vocari efficax per se & semper, quia omnes, qui hac vocantur gratia, semper convertuntur.* Et  
huc

DE POENITENTIA ADAMI.

buc referri possunt omnia beneficia, quae prae-ter auditum verbi Deus vel huic vel illi largitus est, ut gratia extraordinaria erat, quod in Chorazin majores factae sint virtutes, quam in Tyro & Sidone Matth. II. vers. 20. Quam quidem gratiam Adamo etiam concessam esse ut conjiciam adducor verbis Megalandri Lutheri nostri, qui T. X. opp. German. p. 91. ita scribit: Und setzt Moses die Ursache hinzu/den sie ist/spricht er/eine Mutter aller Lebendigen/das scheint aber aus diesen Text/das Adam dē H. Geist empfangen habe uñ wunderbarlich sey erleuchtet gewesen etc. Alterum ab Eva nomine peto, quod Adamus uxori post lapsum imposuit. Cujus natales cave a חיה arcessas (a garrulitate, quod Eva garrula fuerit sermones cum serpente miscens inutiles, donec comprehensa fuerit in verbis suis & peccaverit ipsa & peccare fecerit maritum suum: (ita Rabbini quidem satis inepte apud Fagium, Bibl. Criticor. Tom. I. f. 84.) sed חיה ipso Spiritu S. praecunte, quae vox non animale tantum vitam h. l. denotat, quae mors potius quam vita erat dicenda, sed Spiritualem etiam atq; aeternam. Non mihi temperare possum, quin id B. Patris Lutheri l. c. verbis edisseram. Adam hat geglaubet und verstanden die Verheissung vom Saamen des Weibes / welcher der Schlangen Kopff zertreten solte/ habe auch diesen Glauben versiegelt und zieren wollen mit dem Nahmē seines Weibes / welchen er darumb keiner andern Creatur gegeben hat/ das er dadurch erweckete und erhielt die Hoffnung auf den zukünftigen Saamen/stärckte und versicherte ihren Glauben/ und tröstete sich/das ein Leben zu hoffen wäre/da auch schon die ganze Natur dem Tode unterworffen war. Denn wo er nicht ein künftiges Leben gefühlet und geglaubet hätte/so hätte sein Herz nicht können getröstet werden/ hätte seinem Weibe auch so  
einen



einen fröhlichen Nahmen nicht aufgelegt / weil er ihr aber diesen Nahmen auffgelegt hat / zeigt er gnugsam an / daß sein Herz durch den Heiligen Geist sey getröstet worden durch den Glauben an die Vergebung der Sünden durch den Saamen des Weibes / die er darumb Hevam nennet / daß er an dem Nahmen ein Gedencckzeichen hätte der Verheißung / dadurch er auch wieder lebendig worden war / und diese Hoffnung des ewigen Lebens auch auf seine Nachkommen gelangen liesse. Diese Hoffnung von Glauben mahlet er mit diesem Nahme / gleich als mit einer Farben seinem Weibe an die Stirne / wie die / so von Feinden errettet sind / Banier und andere Zeichen des fröhlichen Sieges aufrichten. Es möchte aber jemand hier sagen / warumb heisset er sie Mutter / weil sie noch eine Jungfrau ist und noch nicht gebohren hat ? Antwort / das thut er auch zu Zeugniß seines Glaubens / dieweil er gläubt / daß Gott das menschliche Geschlecht nicht wolte verworffē noch vertilget / sondern erhalten haben. Darumb heisset dieser Nahme zugleich eine Prophezeihung der zukünftigen Gnaden / und zeigt einen nöthigen Trost in dem steten Jammer dieses Lebens wider Satans Anfechtungen / es ist auch möglich des / daß dieser fröhliche Name (welcher ein schönes Zeugniß des Glaubens und erquickten fröhlichen Geistes ist in Adam) ursach geben habe / daß hernach die heiligen Väter den Tag darauf ein Kind beschnitten und den Nahmen krigt hat / feierlicher und fröhlicher gehalten haben / denn der darinnen es gebohren war / und also gleich dieses ersten Nahmens Auflegung begangen haben.

Consentit cum B. Luthero ex Reformatorum ordine *Job. Heinr. Heideggerus* Historiæ Patriarcharum Exercit. III. de Ecclesia & Theologia Patriarcharum §. 32. & 33. Exercit. IV. de Adamo & Eva §. 5. & *Franciscus Burmannus* Theol. Ultrajectinus Synops. Theol. lib. II. c. 8. §. 26. Neqve in

DE POENITENTIA ADAMI.

contrariam sententiam adducimur nugis *horum*, qui quod Eva mortis Mariti causa fuerit, hinc per amarum jocum acerbamque ironiam Adamum vocasse Matrem viventium: quemadmodum Græci furias infernales appellant Eumenides, id est faciles ac mites, a contrario nempe, quippe cum sint duræ & inexorabiles, aut *Ruperti Tuitensis*, quas refert L. 3. de Trinit. c. 20. apud *Bened. Pererium Jesuitam* comment. in Genes. Lib. 6. de Lapsu Hominis p. m. 234. *Quid insanius, quam in illo talis causa iudicio illam nuncupare Evam, id est, vitam, quæ vitam in se non habebat; eamque dicere matrem cunctorum viventium, quæ potius mater est cunctorum morientium: omnes enim in peccato ejus moriuntur, & nemo filiorum ejus vivit, nisi qui per unum hominem Christum vivificantur. Mirabile itaque est, quod ubi mortis corporeæ sententia ferebatur, jam Spirituali morte mortuus & postea corporali etiam moriturus, illic uxorem suam Evam, id est, vitam appellavit. Igitur cum hoc narravit Moses, Adamum acceptâ mortis sententia uxorem suam appellasse nomine vitæ, hoc procul dubio significare voluit. Quemadmodum superius dicenti Deo; In quocunque die comederis ex hoc ligno, morte morieris, non credidit, sed comedit: quia mulierem, quæ prior comederat, non statim corporaliter mortuam esse vidit: Sic & nunc dicenti Deo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris, a deo non credidit, ut e contrario vocaret nomen uxoris suæ Evam, id est, vitam, eo quod mater esset cunctorum viventium. Evolvat quis textum sacrum & falsitatem statim deprehendet.*

Eva quoque fides tertio Adamiticam probat. Si enim illa, quæ prior peccavit & Adamo peccati causa fuit Gen. III. v. 6. & I. Tim. II. 14. credidit, quare non Maritus quoque?

DE POENITENTIA ADAMI.

que? At illustre fidei primæ Matris testimonium habemus Gen. IV. I. quod more suo h. e. solide exposuit Venerandus *Schmidius* peculiari dissertatione *de Fide Matris Evæ*, quæ in Fasciculo II da est, cujus summam his exhibet: Sanctam Matrem Evam, cum non inter exiguos partus, qui ipsi primæ difficilis a Deo factus est, dolores primogenitum suum peperisset, & masculum esse vidisset, recordatam fuisse promissionis, sibi & Marito suo Adamo factæ, quæ omnium parturientium solatium omnino esse debet, quod Messias, totius humani generis, parentum & liberorum Redemptor, certo venturus, futurus verus homo, & verus Deus seu Jehovah, quem quisque vera fide possessurus esset sibi, salvandus esset, non impredientibus ullis, sive partus sive reliquæ vitæ laboribus, doloribus, adversitatibus: hujusque fideli recordatione non tantum se ipsam fuisse consolatam inter dolores suos & labores molestos, sed monumentum etiam hujus suæ fidei in nomine primogeniti sui filii erigere, quod toti etiam posteritati & matribus in primis parturientibus, doctrinæ & solatio foret, voluisse: Non quod filium suum primogenitum esse ipsum illum Messiam, quem adeo jam in carne præsentem foris possideret, existimaret, sed quod eum in fide & intus possideret nondum natum, suo autem tempore nascendum & manifestandum, cujus nihilominus promissio, vera fide apprehensa, etiam ante adventum in carnem, salvare homines posset; hac promissione sibi facta se magis gaudere, hoc vero Jehova se magis exultare, quam masculo sibi recens nato, quanquam hoc quoque, tanquam humani generis primogenito, non parum etiam latari debeat, ut in hujus nomine monumentum fidei & gaudii sui extare in omnem posteritatem humanam velit. Acquisivi vel pos-

DE POENITENTIA ADAMI.

fedi potius Virum aliquem, qui Jehovah ipse est, in cujus honorem & aeternam memoriam filium meum & humani generis primogenitum Kain h. e. *Jehovah est possessio mea*, appellatum volo. Sic *Schmidius*. Cujus sententiae cum Magno & Incomparabili nostro *Calovio* in *Bibliis Illustratis* ad h. l. & nos accedimus.

*Fidem Adami quarto*, colligimus ex sacrificiis Filiorum Adami Gen. IV. 3. seqq. Unde enim sacrificiorum doctrina illis innotuit? an ex rationis lumine? ita quidem Jesuitae & cum primis *Job. Georgius Herberus* Argentoratensis, quem dignis modis excepit *B. Dorſchhaus* in *Mys. Missae* cap. I. contrariumque invictis adseruit argumentis. Ergo ex revelatione, quae vel immediata vel mediata mediante Adamo facta fuit. Posteriores ipsi defendunt Pontificii Doctores. Vide *Pererium* Commentar. in Genes. Lib. VII. de Cain & Abel pag. 245. defendit sana ratio, quis enim ad hanc summe noxiam & exitialem ignorantiam damnaret Adamum? Neque argumentum procedit, nullibi legitur sacrificasse Adamum, ergo sacrificia ignoravit, aut sacrificiis Deum non reconciliavit, namque sacrificiorum Isaaci ne verbo quidem mentionem sacrae literae injiciunt. Ergo Isaacus non sacrificavit. Ergo sacrificiorum ignoravit doctrinam? Adami sacrificia sic describunt Talmudistae (fidem autem suam quoad facti circumstantias ipsi liberent) in tractatu *Avoth* cap. I. verba ex versione *B. Scheidii* ita se habent: *Dixit primus homo, Ve mibi, quia peccavi, Deus Opt. Max. tenebris involvit mundum. Ipse enim nesciebat, hanc esse mundi consuetudinem (quod vesperi sol occideret & nox fieret.) Matutino autem tempore, ut vidit mundum iterum versus ortum lumen praeberere, magna leticia perfusus est. Stetit & edificavit altaria, & obtulit bovem, cujus*

DE POENITENTIA ADAMI.

cornua erant prius quam ungula ipsius, quem obtulit loco  
holocausti, quia dicatur Ps. LXIX, 31. Et magis placebit  
Domino, quam bos iuvenus cornua accipiens & (post)  
ungulas. Bos quem in holocaustum obtulit primus homo;  
& quem Noachus & aries, quem in holocaustum obtulit A-  
brabam pater noster pro filio suo super altari; omnium eo-  
rum cornua prius edita erant, quam ungula: quia dicitur  
Gen. XXII, v. 9. Et elevavit Abraham oculos suos, & vidit,  
& ecce retro tenebatur. Ea ipsa hora (qua Adam obtulit  
taurum) descenderunt 3, caterve (vel chori) Angelorum mi-  
nistarii, manibusque suis tenebant citaras & nablia, & sic  
omne genus Musica, dicebantque cum eo canticum: quia di-  
citur Ps. XCII, 1. Canticum in diem Sabbati. Bonum est  
confiteri Domino. Annunciare mane misericordiam tuam  
veritatem tuam noctibus: Per tō annunciare mane miseri-  
cordiam tuam, intelligitur seculum futurum, quod compa-  
ratur cum matutinis temporibus: quia dicitur Iobren. III,  
23. Singulis matutinis nove sunt, multa est veritas tua. Per  
veritatem tuam noctibus, intelligitur seculum hoc (pre-  
sens) quod comparatur cum noctibus: quia dicitur: Es-  
XXI, 11. Onus Duma: Ad me clamat ex Seir vigil, quid ex  
nocte? vigil, quid ex nocte: Ea hora ipsa (qua Adam obtulit  
taurum) dixit Deus Opt. Max. Si ego non iudico eum (ser-  
pentem, qui decepit Evam) eveniet mihi ut totum mundum  
vastem. Quare dixit iste, quem regnare feci, & regem con-  
stitui totius mundi, quomodo vana persuasione deceptus  
est (a serpente) postquam fructus arboris istius comedit? E-  
vestigio vultu converso ad serpentem maledixit ei: quia di-  
citur Gen. III, 14. Et dixit Dominus ad serpentem. R. Iose-  
phus dicit: Nisi serpens scriptus fuisset in fine eorum (post Ada-  
mum & Evam) iam dudum vastasset totum mundum. Ul-

## DE POENITENTIA ADAMI.

timo si Adam fuit salvatus, credidit Joh. III. 16. Marci XVI. 16. Atqui Adamum fuisse salvatum constans Ecclesie fuit traditio. Tatianus solus ex professo id negavit. Adversus quem ita causam salutis Adami perorat Irenaeus lib. III. adversus Hæreses c. 34. 35. 39.

*Hic est autem Adam, si oportet verum dicere, primiformis ille homo, de quo Scriptura ait dixisse Dominum; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: nos autem omnes ex ipso; & quoniam sumus ex ipso, propterea quoque ipsius hæreditavimus appellationem. Cum autem salvatur homo, oportet salvari eum, qui prior formatus est homo. Quoniam minus irrationabile est, illum quidem qui vehementer ab inimico laesus erat, & prior captivitatem passus est dicere non eripi ab eo, qui vicerit inimicum, ereptos vero filios ejus, quos in eadem captivitate generavit: nec victus quidem adhuc parebit inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes expugnaverint quosdam, & victos duxerint captivos, & multo tempore in servitute possederint eos, ita ut generent apud eos, & aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet, non tamen juste faciet, si filios quidem eorum, qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum, qui in servitutem deduxerunt patres eorum, ipsos vero, qui captivitatem sustinuerunt, subiectos relinquat inimicis, propter quos & ultionem fecit consecutis libertatem filiis ex causa paterne vindicationis, sed non relictis ipsis patribus, qui ipsam captivitatem sustinuerunt. Neque enim infirmus est Deus, neque injustus, qui opitulatus est homini, & in suam libertatem restauravit eum.*

*Propter hoc & in initio transgressionis Ada, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex veteribus quidam ait; Quoniam quidem misit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo tædia & terrenum laborem, & manducare panem in sudore vultus sui, & converti in terram, ex qua adsumptus est. Similiter autem & mulier tædia & labores & gemitus & tristitias partus, & servitium. Id est,*

*est,*

## DE POENITENTIA ADAMI.

est, ut serviret viro suo, ut neque maledicti a DEO in totum perirent, neque sine increpatione perseverantes DEUM contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem qui seduxerat eos. Et dixit, (inquit) Deus Serpenti: Quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus bestiis terræ. Hoc idem autem & Dominus in Evangelio, his, qui a sinistris inveniuntur ait, Abite maledicti in ignem æternum: quem præparavit Pater meus Diabolo & angelis ejus: significans quoniam non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei qui seduxit & offendere fecit hominem, inquam: qui princeps apostasia est principi abscissionis, & his angelis, qui apostata facti sunt cum eo: Quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter (ut illi) sine pœnitentia & sine regressu in malitiâ perseverant operibus.

Mentiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus saluti, semper seipso excludentes a vita, eo quod non credant inventam ovem, quæ perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio: Mendax ergo is; qui prior hanc sententiam, imo, hanc ignorantiam & cecitatem induxit, Tatianus. Connexio quidem factus omnium hæreticorum, quemadmodum ostendimus; hoc autem a semetipso ad invenit, uti novum aliquid præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos a fide auditores sibi prepararet, affectans magister haberi tentans & subinde uti hujusmodi a Paulo assidue dictis; quoniam in Adam omnes morimur, ignorans autem quoniam ubi abundavit peccatum superabundavit gratia. Ostenso ergo hoc manifeste erubescant omnes, qui ab eo sunt, & concertant de Adam quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non salvetur, quanto magis nihil proficiant, quemadmodum & serpens nihil profecit, suadens homini, nisi illud quod eum transgressorem ostendit, initium & materiam Apostasiae suæ habens hominem, Deum autem non vicit. Sic & hi, qui contradicunt saluti Adæ, nihil proficiunt, nisi hoc, quod semetipso hæreticos & Apostatas faciunt veritatis, & Advocatos se serpentis & mortis ostendunt. Vide quæ pro salute Adami scripsimus in betrübten und getrösteten Kinde Gottes p. 468, & confer  
oppi-

DE POENITENTIA ADAMI.

oppido eruditam Clarissimi D. Samuelis Andrea Prof. Marpurgensis de ADAMI SALUTE dissertationem, Plura jam non addimus certa spe freti meditationes has, quæ subito calore & quadam festinandi voluptate nobis fluxerunt, cum verbo DEI congruæ sint, professione pietatis in parentem primum, aut laudatas aut excusatas esse, neque in eo habendas censu, in quem optumo jure Gelasius Papa de Pœnitentia Adæ dist. XV. hæreticorum rejecit libellum. Coronidis loco, quæ de laboribus Adami pœnitentis sacris statuerint Talmudistæ Tr. Avot, c. 1. accipe Meditationes primi hominis ( & ad ejus exemplum aliorum ) per totam septimanam describuntur. Die primo quid dicit? ipse dicit Ps. XXIV, 1. Domini est terra: Quia ipse possedit eam, & possidebit eam, & ipse judicabit mundum. Die secundo quid dicit? 1. Chron. XVI, 25. Magnus est Dominus Ipse distribuit omnia opera sua & facta sunt omnia in universum super mundo ipsius. Tertio die quid dicit? Psa. m. LXXXII, 1. Deus stat in congregatione & c. Creavit mare & siccum, & in globum unum coierunt ambo loco sibi destinato, & facta est (term) locus idoneus Ecclesie ipsius. Quarto die quid dicit? Psalm. XCIV. Deus ultionum & c. creavit solam & lunam & stellas & planetas, quæ illuminant mundum. Quinto die quod dicit? Psalm. LXXXI, 1. Cantate Deo robori nostro & c. Et creavit aves & pisces, & balanas, quæ vocem letitiæ edunt in mundo. Sexto, quid dicit? Psalm. XCIII, 1. Dominus regnat excelsæ & c. Perfecit omnia opera sua & exaltatus est, & sedit in excelsis mundi. Septimo quid dicit? Psalm. XCII. Psalmus Cantici in diem Sabbathi: Dies qui totus est שבת schabbath requies. Nam in eo nec editur, nec bibitur neque fit commercium; sed justi sedent, & coronæ ipsorum sunt in capite ipsorum, & pascentur a splendore divine presentie: quia dicitur Exod. XXIV, 11. Et viderunt Deum, & edserunt, & biberunt, sicut Angeli ministerii. Et hæc omnia quorsum! Scilicet ideo, ut statim inire posset homo cœnam Sabbathi.

S. D. G.

Coll. Oliss. A. 74, misc. 17. b